

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

5. Anima metallica Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

II. G E N U S.

*Menstrua Vegetabilia Simplicia ex Spiritu
Vini Phil. & Vegetabilibus calidissimis,
Herbis Floribus, Radicibus, &c.
Oleos.*

5. Anima Metallica, seu Lunaria Coelica Lullii,
*Descripta in Composit. Animæ Transmut. pag. 193.
Vol. 3. Theat. Chym.*

Primò scias, quòd Materia nostri Lapidis seu omnium Lapidum Philolophorum atque virtuosorum, qui per artificium generantur vel componuntur, est Anima Metallica, & menstruum nostrum rectificatum & acutum, seu Lunaria Coelica, quæ apud Philosophos vocatur Mercurius Vegetabilis, ortus à Vino Rubeo vel Albo, ut clarè patet, & clarè demonstratum existit divinitus revelatum in Figura individuum distinct. 3. Libri quintæ Essentiæ, &c.

Sed tamen Oportet priùs nostrum menstruum per Magisterium à morte, id est, sordibus Vini & Phlegmate extrahere per officium Alembici, & acuari in destillatione cum Vegetabilibus pertinentibus: quæ sunt, Apium Sylvestre, Squilla, Solatrum, Carduus, Oliandrum, Piper Nigrum, Euforbium, Viticella seu Flammula, & Pyrethrum, omnium ana & pulverisata. Ex altera parte ipsum menstruum roretur continuè spatio decem dierum in fimo calido aut Balneo Mariæ.

Annotatiónes.

Unctuosus Vini Phil. Spiritus non nisi unctuosus extrahit naturales Essentias Vegetabilium, ut inferias observabimus.
Libro

Libro de Medicamentis. Essentias ita extractas, ut & cætera Oleosa cruda sive expressa & destillata utriusque regni, Animalis & Vegetabilis, hic Vini Spiritus per simplicem digestionem dividitur in duas partes distinctas, duo Olea sive pinguedines, quarum una rei Essentia est, altera Corpus. Essentiam ita Confectam Spiritum Vini secundarium superius nominavimus. Essentiæ ambæ, hæc per divisionem, & illa per extractionem præparatæ per longiorem digestionem cum prædicto Vini Spiritu unum fiunt. Nam quæ unius & ejusdem sunt puritatis, & symbolica naturæ, commiscuntur faciliè & inseparabiliter; adeoque Essentia per Essentiam Confecta, eidem Essentiæ jungitur. Et si ulterius protrahamus digestionem, tandem pinguedinum alterutra, Corpus videlicet minus Oleosum, proptereaque relictum hæctenus, recipitur in naturam symbolicam, ob cujus admixtionem, non solum multiplicatur Spiritus, sed imò particulis hujus Corporis minus Oleosum ad ariditatem vergentibus, ad Aridorum dissolutiones aptior redditur, de quo modo agimus in dicto Recepto, cujus præscriptione Oleum ex Vegetabilibus Oleosis destillando unà cum Vini Phil. Spiritu prolectum, circulatur in Magisterium (sive Essentiam duplicem, naturalem & artificialem, de qua inferius suo loco) quo Spiritus Vini multiplicatur, & aridus magis homogeneus redditur. Idem extat Menstruum, sed Paulò aliter descriptum in Magia Naturali pag. 358. Sic,

R. Nigrum nigrius nigro, & ex eodem decem vel octo partes destilla in vase vitreo, & in prima destillatione solum recipies dimidiam partem, hanc iterum destilla, & hujus recipe quartam partem, & tertiâ destillatione recipies quasi totum, & sic destilla illam partem usque ad octo vel novem vices, & erit perfecta, sed non rectificata nisi in vigesima secunda destillatione. R. Hujus aquæ partem quartam Libræ unius, & eandem acue destillando cum Vegetabilibus, quæ sunt Apium Sylvestre, & sic de cæteris aliis, de quibus dictum est supra in Anima transmutationis in Capitulo, quod incipit: Sed tamen oportet, &c. Et postea pone in vase Circulationis in fimo calidissimo, vel in Vinaria sub conservatione specierum. Quæ Aqua est etiam una de rebus, sine quibus nihil potest fieri in Magisterio hujus artis.

Menstruum, quod à morte Vini per Officium alembici extrahi, dictis Vegetabilibus neci, & tandem circulari debet, ipse Vini Phil.

Phil. Spiritus est, qui ita per hos exaltatur gradus, ut merito à Lullio vocetur materia omnium Lapidum Philosophorum & virtuosorum (id est, Lapidum pretiosorum) Anima Metallica & Lunaria Cœlica quæ etiam vocatur Mercurius Vegetabilis, ortus à Vino Rubeo vel Albo.

Materia, ex qua hoc conficitur menstruum, vocatur Vinum in priori Recepto: Oportet menstruum extrahere à morte Vini. Sed in posteriori vocatur Nigrum nigrius nigro. His duobus à Lullio tertium additur Synonymum pag. 1. Test. Novissimi. R. Vinum Rubereum, quod liquorem Lunariæ & Nigrum nigrius nigro vocamus. Per quæ Synonyma nemo nisi stolidus commune intelliget Vinum; communis enim ex hoc destillatus Spiritus ad talia & tanta perficienda omnino insufficientis est, imò omnia Arcana secretioris Chymicæ, quibus describendis insudamus, unico hoc verbo literaliter intellecto prostituta essent omnibus, per Vinum ergò intelligitur Philosophicum secretum, omnibus inexpertis absconditum.

Oportet extrahere à morte Vini per officium Alembici: id est, Oportet toties rectificare, donec fiat purissimus absque sordibus & Phlegmate Vini, quod mors Spiritus vocatur à Lullio. Purgatur, inquit, de tota sua superfluitate & Phlegmatica materia corruptibili, quæ ipsius mors est, & quæ mortificat suum Spiritum, qui potestatem habet vivificandi suam Terram; purgetur ergò & separetur ab eo Phlegma corruptibile per subtile ingenium, quod tibi dicam. Quare? quia si non benè purgetur, nunquam Terra ejus bene albificatur, nec fiet matrimonium inter Corpus & Spiritum. Et sic tunc ille Spiritus nominatus est Spiritus Lapidis, in Apertorio.

Rectificationis Methodus in priori Recepto omiſſa describitur in posteriori, ut & in Epistola accurtatoria. Hanc Vini Phil. rectificationem non intellexit Sendivogias, uti apparet ex Epistolarum suarum sexta. Brux. 25. Martii 1646. ubi sic: Secundus articulus Pagesiani operis, Domine sodalis, extrahendi & subinde præparandi Mercurii modum Mysteriosum, magis quam par fuit, ex Authoritate Lulliana malè intellecta, aliorumque præceptis Philosophorum malè applicatis repetere conatur, dum per destillationem decimam partem suæ magnesiæ primò ascendentem, quasi solam utilem & verè Mercurialem substantiam, novem verò reliquas partes per continuationem distilla-

D

tionis

tionis prodeutes, ut inutiles ejici jubet, ad hoc ut tandem dicta decima pars asservata, Terræ residenti post completam destillationem (quam Terram Sal Sulphurque Mercurii ineptè autumant) restituatur, & per repetitas cohobationes, inhumationes, digestiones, & sublimationes ab ipso descriptas uniantur; sed graviter hallucinantur, nam quod tradunt Authores de parte denaria Spiritum continente, deque inhumationibus propria in Terra, aliò refertur quàm extractioni & præparationi Mercurii, ut alibi aliquando demonstrabitur, nec ulla est adhibenda regula dictæ extractioni, & præparationi Mercurii, præter simplicem destillationem Magnesiæ, quæ Spiritus & Oleum simul elevantur ad siccitatem usque facum & separationem Spiritus ab Oleo, ejusdemque Spiritus rectificationem multoties repetitam. Sed hæc in modo agendi suo loco amplissimè dabimus.

Parisinus Iullii Discipulus corriget Sendivogium, qui à Iullio hoc modo suum Vini Phil. Spiritum rectificare didicit, hoc modo:

R. A (*Chaos, Mercurium nostrum Vegetabilem, in quo quatuor Elementa confusa inveniuntur. pag. 271. Vol. sexti Theat. Chym.*) & pone in vase ad distillandum per Y (*Balneum pag. 276.*) & collige in hac destillatione temperata suum, B. (*Spiritum Cœlestem ardentem pag. 269.*) continua illam destillationem cum hoc regimine & modo usque ad signa in nostro apertoriali significata, & usque dum cognoscas quod dictum B sit dissolutum & separatum de natura sua Elementalī, continuando hoc Magisterium usque ad quartam revolutionem. Deinde pone istam Cœlestem materiam igneam in vas purum, & destilla lentè cum igne consueto, & accipe solummodò decimam partem. In secunda destillatione accipe dimidiam partem, & in tertia duas partes de tribus, & in quarta accipe quatuor partes de quinque partibus & ultrà. Tunc accipe postremam illam Aquam Cœlestem & illam ter vel quater destilla cum regimine supradicto, capiendo totam sine aliqua separatione instituta. Hoc animadvertite, & necessitatem istius Mysterii & Fundamenti admirare, & intelliges qua ratione ignari & crassæ Minervæ homines pessimum panem conficiunt cum Pulchra & Optima farina, quia partem crassam cum subtili componunt; idem præsumptuosus Artificis accidit, qui sibi persuadent se pulchritudinem

nem quintæ Essentiæ nostræ reperire posse cum Spiritu exuberato negligenter depurato absque iusta puri separatione ab impuro. *in Elucid. pag. 230. Volum. 6. Theatri Chym.*

Quem tamen modum rectificationis tam exactè observare nulla mihi videtur esse necessitas; cum Spiritus rectificatio, quocunque etiam fiat modo, paucioribus vel pluribus cohobationibus satis sit bona, dummodo fuerit separatus à sordibus Vini, quod cognosces, inquit Lullius, quando comburit petiam linteï propter sui ardorem, hoc est, ut alibi clariùs, donec linteum Spiritu hoc madefactum, si accendatur, consumatur totum.

Hic rectificatus Spiritus destillando acuitur Vegetabilibus Oleosis in Recepto denominatis, quorum Olea sibi proxima facillè secum evehit, iisdem imprægnatur, & ariditate in iis contenta acuitur; neque tamen incumbit nobis, ut Vegetabilibus hisce solis, non aliis simul uti liceat: vel necesse sit, hæc omnia insimul miscere, quasi unum vel duo non sufficerent. Oleum cujuscunque Vegetabilis hic nobis satisfaciet, vel ex Vegetabili eductum, ipso mediante Vini Phil. Spiritu: vel jam modò confectum & Spiritui Vini Phil. additum. Unam alteramve formulam pro hujus menstruorum generis confirmatione dabo; cujusmodi est,

6. Aqua Vitæ Paracelsi.

Descr. p. 508. Tomi I.

Re. Alcohol Vini exsiccati libras tres, foliorum Anthos, Marcis, Lavendulæ ana unciam semis; Cubebarum, Caryophyllorum, Cinamomi ana uncias duas; Masticis unciam semis; Storacis utriusque ana drachmam semis; Doronici uncias tres; reduc in septimum Alembicum.

Aquam hanc Vini Phil. Spiritu confectam esse, præter Alcohol Vini exsiccati, testatur usus sequens. Re. Foliorum auri No. XX. Margaritarum non perforatarum, Granatorum, Rubinorum ana drachmam semis; reduc ad digestionem per mensem. Hujus Olei accipe grana tria vel quatuor cum Vino malvatico aut Aqua Majoranæ vel Salvix. Menstruum hoc Vinum Essatum vel Essentiatum est; sive Spiritus Vini Phil. Oleosorum ingredientium Essentiis imprægnatus, quo Aurum, Lapidesque pretiosos